



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. IV. De Sanctis ordinis Prædicatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

dibus celebramus, quòd & sanctum Rosarium, & per illud innumera nobis beneficia contulerit. Ita legitur in Breuiario ord. Prædicatorum, anno 1603. Romæ & alibi edito.

CAPVT IV.

De Sanctis ordinis Prædicatorum.

PRæter *S. Dominicum* eminent in primis *S. Thomas Aquinas* Doctor Angelicus, qui obiit anno 1274. à *Ioanne XXII.* Diuis adscriptus an. 1323.

S. Petrus martyr, patria Veronensis, anno 1252. pro Christo ab Hæreticis occisus, ab *Innocentio IV.* in Diuos relatus anno sequenti.

S. Hiacinthus Polonus, à *Clemente VIII.* in cælites relatus.

S. Raimundus Pennafortius, per eundem *Papam Sanctorum* catalogo adscriptus.

S. Catharina Senensis, virgo.

S. Agnes Politiana, virgo.

De *B. Alberto Magno*, *B. Gendisaluo*, & alijs penè innumerabilibus Beatis ex ordine Prædicatorum, vide *Dominicanæ Historiæ* scriptores, & nominatim *Abrahamum Bzouium* in tomis XIII. & XIV. *Annalium Ecclesiasticorum*.

De B. Sibyllina Virgine Papiensi.

Sibyllina virgo Papiæ nata, ex Biscossa familia, anno ætatis vndecimo, lumine oculorum orbata, inter sorores, quæ de Pœnitentia dicebantur, ordinis S. Dominici, triennio non sine magno patientiæ & pietatis exemplo vixit. Cùm autem quadam die feruentius oraret, vt visum reciperet, quo victu posset manibus operando comparare, visa est sibi à reclusorio ad Ecclesiam Cathedralē à S. Dominico trahi (à quo opem assiduis precibus implorabat) ab eoque quædam horrenda primùm, deinde iucunda splendidaque ac suavi odore redolentia palatia sibi ostendi. Caduca itaque despiciens, reclusorium annos quindecim nata ingreditur, ex quo bis tantùm egressa fuisse legitur. In eoprioribus septem annis eam pœnitentiam egit, quam quis magis admirari quàm imitari queat. Corpus suum vigilijs, orationibus, ieiunijs, lachrymis, verberibus, quoad sanguis efflueret, affligebat. Hieme nunquam ignem adhibuit, eisdem tamen quibus æstate vestibus induta; lectus illi tabula lignea brevis & angusta, in qua breuissimo somno fessa membra recrearet. Cumque immensis doloribus afficeretur corporis, animo

nimo tamen ex meditationibus & feruorum Dei colloquijs magnam capiebat voluptatem. Claruit & spiritu Prophetico, cum plura arcana & futura aperuerit. Denique anno reclusionis 64. ætatis 80. migravit ad sponsum anno salutis 1367. die 19. Martij. In æde sancti Thomæ, quæ est Ordinis Prædicatorum, sepulta, miraculis non paucis fulsit. Sic ferè Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiae. Eius vitam fusè scripsit Donatus Lagus ordinis Prædicatorum, & Papiæ an. 1599. edidit.

CAPVT V.

*De Ordine Fratrum Minorum, de quibus
tribus Regulis à S. Francisco
institutis.*

FRANCISCVS, Afsisij in Vmbria natus, patris exemplum secutus, à prima ætate mercaturam fecit. Qui quodam die pauperem pro CHRISTI amore flagitantem pecuniam, cum præter consuetudinem repulisset, repentè eo facto commotus, largè ei misericordiam impertijt: & ex eo die Deo promisit, se nemini vnquam poscenti eleemosynam negaturum. Cum verò post in grauem morbum incidisset, ex eo aliquândo cõfirmatus, cepit ardètiùs colere officia chari-